

DN  
42











Historiam  
Linguae Sclavonicæ

continuat

Quatuor capitibus

- I. De origine Characteris Cyrillici speciatim.
- II. De cultura Linguae Sclavonicæ, beneficio hujus Characteris.
- III. De Typis novis Sclavonico-Moscoviticis.
- IV. De Dialecto Russica, tanquam filia Linguae Sclavonicæ.

Additque in ære sculptum

Conspectum Figurarum Characteris Sclavonici,  
Novique Russici,

&

Propter Inscriptionem Sclavonicam, etiam Nummum Russicam.  
Occasione Exercitii Scholastici in Poesi Germanica,

Quo Natalem Gymnasii Berolinensis in Cœnobio, CLIII<sup>um</sup>.

celebrat,

Et ad quod

Die 10. Decembr. MDCC XXVII. hora IX. ante meridiem  
Mæcenates, Patronos, omnesque rerum  
Scholasticarum Fautores demisse & officiosissime

invitat

JOHANN LEONHARD FRISCH,

Rector.



KÖN. PR. FR.  
UNIVERS.  
ZVHALIE.







Character Cyrillicus	Novus Rusticus	utroq; MSptus.	Super Scriptus	Promin- tiatio	Character Cyrillicus	Novus Rusticus	Manu Scriptus	Super scri- ptus	Prom- tiatio
1 А	а	Α α	α	α	23 Ф	Ф	Ф	Ф	ph
2 Б	б	Β β	β	β	24 Х	Х	Х	Х	ch
3 В	в	В в	в	в	25 Ц	om Ц	Ц	Ц	ot
4 Г	г	Г г	г	г	26 Ч	Ч	Ч	Ч	tz
5 Д	д	Д д	д	д	27 Ш	Ш	Ш	Ш	sch
6 Е	е	Ε ε	ε	ε	28 Ψ	Ψ	Ψ	Ψ	scht
7 Ж	ж	Ζ ζ	ζ	ζ	29 Ω	Ω	Ω	Ω	sch
8 С	с	Σ σ	σ	σ	30 Ъ	Ъ	Ъ	Ъ	sch
9 З	з	Ξ ξ	ξ	ξ	31 Ь	Ь	Ь	Ь	sch
10 И	и	Ι ι	ι	ι	32 Ъ	Ъ	Ъ	Ъ	sch
11 Й	й	Ј ј	ј	ј	33 Ъ	Ъ	Ъ	Ъ	sch
12 К	к	Κ κ	κ	κ	34 Ε	Ε	Ε	Ε	sch
13 Л	л	Λ λ	λ	λ	35 Ю	Ю	Ю	Ю	sch
14 М	м	Μ μ	μ	μ	36 Ж	Ж	Ж	Ж	sch
15 Н	н	Ν ν	ν	ν	37 Ω	Ω	Ω	Ω	sch
16 О	о	Ο ο	ο	ο	38 ϑ	ϑ	ϑ	ϑ	sch
17 П	п	Π π	π	π	39 ω	ω	ω	ω	sch
18 Р	р	Ρ ρ	ρ	ρ	40 Α	Α	Α	Α	sch
19 С	с	Σ σ	σ	σ	41 Ψ	Ψ	Ψ	Ψ	sch
20 Т	т	Τ τ	τ	τ	42 Ψ	Ψ	Ψ	Ψ	sch
21 У	у	Υ υ	υ	υ	43 ϑ	ϑ	ϑ	ϑ	sch
22 У	у	Υ υ	υ	υ	44 V	V	V	V	sch

1	3
2	7
3	8
4	9
5	10
	11
	12
	13
	14
	15
	16
	17
	18
	19
	20
	21
	22
	23
	24
	25
	26
	27
	28
	29
	30
	31
	32
	33
	34
	35
	36
	37
	38
	39
	40
	41
	42
	43
	44
	45
	46
	47
	48
	49
	50


ΠΡΡΥΗ
Ε
Ρ
Ρ
Υ
Η

1) δε δδ δδ δδ δδ δδ  
 10) ϑ ϑ ϑ ϑ ϑ ϑ ϑ ϑ



perscri  
tus

Prin  
tia

pl

ch

ot

t2

sch

scht

sch  
nate

iobb

sch  
nate

je

Je

Ju

Ju

ob

Ja

o

Ja

x


pl

ph

y



Spog  
86







**I**N nupero, & de Historia Linguae Sclavonica primo Programmate, in genere quædam de Cyrillo, Episcopo Sclavonica Gentis in Moravia dixi. Qui Seculo IX. post Christum natum Linguam Sclavonicam literis Græcæ Linguae majusculis primus scripsit, & novis quibusdam literarum figuris peculiare hujus Linguae sonos expressit. In Præfenti agam,

- Cap. Imo. De Characteris hujus Cyrillici origine & figura in specie.
- II do. De Cultura Linguae Sclavonica beneficio hujus Characteris in Typographiis Italiæ, Rusfiæ utriusque, Lithuania, Sveciæ, Germaniæ, Belgii, Angliæ,
- III tio. De, novo Characterere Moscovitico,
- IV to. De Dialecto Rusfica, Linguae Sclavonica filia.

Cap. I.

*De Characteris Cyrillici origine & figura in specie.*

**F**igura Literarum, quas præfens Tabula æri insculptas exhibet, ratione originis suæ quadruplices sunt.

1) E literis Græcis Alphabeti Majoris Auctor Cyrillus retinuit  
 XXI. Græci recentiores & Rusfi græcissantes e minori caractere

A





2  
tere Græco addiderunt (num. 21 in Tabula.) & five ου Diphthongum & num. 44, v, quando ut i legendum est, nam majus Y sonum u vocalis habet. Multiplicatæ sunt præterea figuræ vocalis Omega, n. 39, propter tirones, & additæ n. 25 & n. 37 duæ aliæ, quarum tamen illa, ut syllaba; hæc ut integra vox & Interjectio non ad elementa pertinet. Accesserunt tandem etiam propter paucas Græcas voces & nomina quædam propria, Consonantes Græcæ, quas duplices vocant ξ & ψ; & aspirata θ. Id quod vel locus in serie literarum probat, sunt enim cum vocali v omnium ultimæ. De θ, num 43, notandum, quod Græci illud pronuncient ut th Anglicum cum certo quodam sibilo: Rusfi vero ut nostrum f vel ph. Apud Latinos vestigium hujus permutationis invenimus in voce fera & Θῆρα; Sed apud Russos sibilus ille literæ Græcæ θ delicatior, videtur mutatus in labialem spirantem. Hinc legunt Θεόδωρος Feodor; Ἀθανάσιος, Offanasius.

2) Quia Græci reliquos linguæ Sclavonicæ sonos, inprimis tot sibilantes, non habent, hinc nec literas ad eos exprimendos: Cyrillus neque signa eorum relinquere voluit, sed tres figuras mutuo sumpsit, quæ ratione Originis tres literæ Hebræicæ sunt & apud Græcos tantum numeros, 6, 90 & 900 significant, & vocantur Vau, Cophe & Sanpi, ς & π utrumque versus dextram positum, & Sin cum inscripto π Græco inclinatum alias, hic erectis cornibus stat. Prima earum, olim in superiore parte leviter curvata erat, sed Scribæ ineptientes apud Græcos figuram literæ ς, & Scribæ Russorum nescio quem colubrum inde fecerunt, hac expressit Cyrillus sibilum Sclavonicam leniorem. Quem quidem sonum nunc etiam litera sequens in Alphabeto n. 9 habet, Sembla à Russis dicta. Sed hæc litera apud Græcos sono plane diverso pronunciata est.

Secundam (num. 26) adhibuit loco soni quem Germanicum sive Italicum Zet habet, Græci vero nunquam habuerunt, imo omnibus modis vitarunt, & ubicunque literæ concurrebant, quæ hunc



hunc sonum efficere poterant, unam ex illis abjecerunt. Quod in Grammatica nostra Græca per omnes fere partes Orationis pluribus monstrabitur.

Tertiam, in Alphabeto n. 27, posuit loco fibili quem literæ fch, faciunt. Qui etiam apud Græcos non in usu est. Confirmant hanc Cyrilli mutationem non tantum horum trium signorum apud veteres Græcos figuræ, quas in his Slavonicis literis correcta scribarum depravatione agnoscimus: sed & ratio numerandi apud Russos, qua easdem literas loco 6, 90 & 900 constanter retinent.

3) Deficientibus denique literis & Signis Græcis Cyrillus ex Alphabeto Hebraico tres literarum figuras adoptavit. Eadem licentia qua Græci & figuras & nomina Hebræarum literarum ex oriente arcesserunt. Hæ sunt in Alphabeto Cyrillico, 2da, 28va & 32da. Sonum literæ b, non aspiratæ, quo Græci carent, supplevit Hebraico ב. vertit vero eam propter lectionem Europæorum ad dextram, & inferior pars à scribarum inutili quodam tractu clausa videtur. Et hoc b insertum esse Alphabeto Cyrillico, probatur veteri literarum Græcarum ordine, quibus numeros indicarunt, quem Slavonicæ gentes complures retinuerunt, sed tum hanc literam secundam, quam buki nominant, omittunt.

Litera, in Alphabeto Rusfico 28va, est ex Hebraico ש, propter fibilum sch fortiolem, quem Græci non habent.

Trigesima secunda figura vero videtur esse ex Hebraico י Jod, quam scribæ apud Russos valde mutarunt. In Alphabeto Glagolitico minus corrupta est, & retinuit figuram Latini I. Si vero à Russis super litera scribitur, ad quam pertinet, figuram suam antiquam agnoscimus (vid. n. 32. in columna MSS. literarum) Pronunciatur etiam in fine ut jod, sed sono rapidissimo, & eo quem lingua facit à pronunciatione alicujus consonantis cessans & recidens. Quoties tamen ne hic quidem sonus percipi debet, qui scheva mobili apud Hebræos simillimus est, sed Consonans quædam pronuncianda est, quæ quasi scheva



4 mutum sub se habet, addiderunt Rusfi alium apicem sive lineolam in superiore parte figuræ 32, & inde orta est figura 30.

4 Reliquæ literæ sunt ex his tribus speciebus compositæ, eæque vel duplices consonantes, vel duplices vocales sive Diphthongi. Illarum invenimus duas, harum septem. Illas requisivit sibi diversitas, ut

num. 7 in Tabula, composita est ex n. 24, ch, & n. 19, s. pronuntiatur ut sch, sed lenius ut Gallicum g, ante e & i non ut num. 28.

num. 29 composita est ex sch fortiori num. 28, & subscriptum habet τ num. 20, ita ut lineæ harum duarum literarum transversæ coaluerint, & tantum lineola perpendicu-

laris literæ τ in medio dependeat, ad indicandum sonum τ inter duo sch, id est schtsch. Has, scilicet vocales compositas, postulavit Sclavonicarum Diphthongorum inversa ratio. Diphthongi enim Græcæ semper vocalem Jota, ubicunque in Diphthongo auditur, postponunt, ut ai, ei, oi, ui: Sclavonica vero præponunt i, ut ia, ie, io, iu. Ob hanc causam harum literarum inventor sumsit literam η vel figuram 32, quibus cum vocalibus ordinariis compositis, ortæ sunt:

num. 35 ex num. η & ι pro iu Diphthongo,

num. 38 ex num. η & n. ι pro ia.

num. 40 ex num. η & ι majoris figuræ veterisque Græcæ, & orta est eadem Diphthogus ia, Jota quasi subscripto, more Græcorum recentiorum sub literis minoribus.

num. 31 ex num. 32 & n. η ad indicandum i obscurius.

num. 33 ex E in tres apices suos prominentes positum, per quorum medium ducitur pars erectior numeri 32, ad significandum sonum Diphthongi ie.

num. 34 ex E cum angulis obtusioribus, in quo, loco medii apicis, est num. 32, incorruptum hebr: ך horizontaliter inscriptum, ut indicet eandem Diphthongum ie.

num. 36 ex num. 32 inverso & num. 22 inverso, ad exprimendum sonum Diphthongi iu.

Et



En originem Characteris Cyrillici, auctioris potissimum, quo Rusfi utuntur, quæ fundata est in Historiæ veritate, Veterum consuetudine, sonorum convenientia, apicum vestigiis, linguarum quæ eo exprimuntur notitia, conjecturarumque quarundam probabilitate.

## Notæ ad Tabulam, quæ Characteres Cyrillicos exhibet.

Nomina harum literarum secundum eundem numerorum ordinem in Tabula, apud Russos hæc sunt

1	As.	16	On.	31	Jerí.
2	Búki.	17	Pokói.	32	Jerí.
3	Wiédi.	18	Rtzi.	33	} Játi.
4	Glagól.	19	Slówo.	34	
5	Dobró.	20	Twérdo.	35	} Jus.
6	Jest.	21	} Ik	36	
7	Schiwiéte.	22		37	} O.
8	Sieló.	23	Phert.	39	
9	Semlá.	24	Chiér.	38	} Ja.
10	Ische.	25	Ot.	40	
11	I.	26	Tzi.	41	Xi.
12	Káko.	27	Tscherf.	42	Pfi.
13	Liúdi.	28	Scha.	43	Phita.
14	Misliéte.	29	Schtscha.	44	Yschitza.
15	Nafch.	30	Jer.		

Characteres hi descripti sunt e libris quos Russicæ, inprimis Moscoviticæ Typographiæ ediderunt, & e Manuscriptis elegantioribus. Typi quibus Rusfi Kiovienses in quibusdam libris utuntur, paulo graciliores sunt.

E duplici Figura literæ nonæ & vigesimæ, posterior apud Russos Regni Poloniæ, sive in typographiis Leopolanis (Lembergensibus) & Kioviensibus usitator est.



Columna quarta, utriusque lateris tabulæ, continet literas quomodo pingantur, si ob concursum consonantium, vel in fine a quibusdam super literis scribuntur, Et semicirculus in quo stant, vel circumflexa lineola in latere, vel literæ annexus longior tractus, ut n. 13, 14, 24, vel ipsius literæ ductus mutatus, ut n. 3, 9, 14, 18, fiunt loco figur. 30 vel 32, quæ omnes consonantes syllabam vel vocem finientes, comitantur.

Alii pauciores numerum literarum habent, qui scilicet duas ejusdem soni pro una numerant, ut 35 & 36: 38 & 40. Nos ordinem Lexicorum & Grammaticas accuratiores sequentes, 44 posuimus. Infra lineam transversam, quæ numerum 44 literarum claudit, undecim aliæ figuræ & signa sunt pleraque a recentioribus magistris addita.

- 1) Literâ E ad sinistram versâ monent lectorem eam sine aspiratione Russica legendam esse, quæ aspiratio ad sonum j quam proxime accedit e. c. quando scribunt Est, legendum est jest, sed ast legitur ut *est* apud nos, sine j.
- 2) Literam Tau in typis expressis libris supra vocales hac figura exprimunt, inverso fere modo ac calamo fit. num. 20. col. 4.
- 3) Est verbum *jest*, duabus consonantibus unicæ vocali superne adscripta, quod in aliis vocibus non fieri solet. Figuræ
- 4) & 5) addidi hic propter editiones Bibliorum & aliorum librorum Russicæ Polonicæ, prior earum est loco n. 30, & facile confundi potest cum 33 in MSS. posterior invenitur pro M majori initiali.
- 6) Est litera decima nona; & lineola circumflexa, qua typographi literas superscriptas quasi tegunt, loco figuræ 30 sive 32 adhibetur, quam scribæ, aut erigunt ut, n. 12 & 13, vel semicirculo exprimunt.
- 7) Spiritus lenis Græcorum.
- 8) Signum correptionis super vocali, quæ aliam vocalem, sequitur, in primis super litera 15ta.
- 9) Accentus circumflexus antiquorum. Reliqui accentus iisdem lineolarum figuris indicantur ac apud Græcos. Distinctio-



tionum quoque signa vel cum Græcis, ut signum interrogationis (?) vel cum latinis conveniunt, ut punctum, colon, comma &c.

- 10) Est signum omiſſæ literæ vel ſyllabæ, ſi ſuper integris vocibus reperitur. Super ſingulis literis vero eſt ſignum numerorum. In Manuſcriptis eam circumflexo Græco majori exprimunt.
- 11) Hac lineola indicant numerum millenarium; inferius literæ primæ addita ſignificat 1000, literæ ſecundæ, 2000 & ſic porro.
- 12) Eſt litera quinta, exempli cauſa hic addita, ut conſtet quomodo per ſcribarum ac typographorum luſus & inutilia ornamenta literæ deformentur.
- 13) In titulis librorum complures typographi his longioribus literis uſi ſunt, immixtis ſubinde brevioribus.
- 14) Scribæ Ruſſorum literas miris modis contrahunt ut, in hac ſuperiori linea ſunt ſyllabæ be, bu, bie, biu, bia, bra in inferiori  
le, on, om, ſe, ſiu.

Ut denique etiam aliquid de eo modo referam, quo in re monetaria Ruſſi charactere Cyrillico utuntur, hic unicum aureum ſed rarisſimum ſubjungere volui nummum, quem poſidet Vir Ampliſſ. Joh. Henr. Schlüterus à Conſil. Reg. ſecretioribus, in Reg. Societ. Scient. Director meritiſſ. Patronus noſter æſtumatisſimus. Explicent alii cujus Pſeudo-Demetrii moneta ſit; examinent omnia quæ ad veſtitum, titulum, inſignia, & alia pertinent. Non enim deſunt Ruſſis hujusmodi ſcriptores. Mich. Schendo R. C. Equ. Van der Bech, Med Doct. apud Ruſſiæ exercitum, de præſenti Ruſſiæ Literariæ ſtatu, in Appendice Actorum Phyſico-Medicorum Academiæ Naturæ Curioſorum p. 331 Anno

QVo MagnVs PetrVs aD CœLos eVolaVerat  
ita ſcribit: Ruthenorum numismata & alia circa rem monetariam hujus gentis documenta digeſſit, & accurate deſcripſit, Petrus Miller, Petroburgi. Noſ literarum figuras, vocum contractiones, & alia conſideramus, quæ propoſitum hic noſtrum admittit, vel potius requirit.

In-



6 28 Inscriptionis duas lineas circum imaginem principis hæc  
verba continere puto.

I

Dimitrei Iwanowitsch Boschieju Milostju TZar i welikii  
Knes Wsea Rosfii,

2

i wfech Tartarskich Korolewstw i inich mnogich Gospo-  
darstw.

Circum aquilam bicipitem reliqua hujus Tituli sunt,  
Moskowskii Monarch, Powelitel, Gospodar, Korol i ob-  
ladetel - - - i Samoderfchetz.

hoc est:

Demetrius Johannis filius Dei gratia TZar & Magnus Princeps  
totius Rusfiæ,

Et omnium Tartaricorum Regnorum aliarumque multarum  
Dynastiarum

\* \* \*

Moscoviæ Monarcha, Dictator, Dominus, Rex, & Dy-  
nasta - - - & Avtoerator.

Literarum harum sculptor ob spatii defectum omisit lite-  
ras in medio & fine vocum: omisit etiam literas & signa quæ  
alias superferibuntur.

Literas, a, & r, antecedenti aut sequenti literæ tanquam  
fulcro communi annexit, & tantum rotundiori parte earum in-  
dicavit.

Vocalem, o, caudæ sequentis Lamda addit, illamque ali-  
quoties minorem aliis literis fecit.

In voce ultima lineæ secundæ pro B fecit s & alios plures  
errores commisit, ut vocalem e in voce antepenultima lineæ  
tertiæ minorem fecit, & invertit. Syllabam Ki in lineâ prima  
male à sua voce weliki separavit. In figura literæ T non sibi  
constitit, in ultima enim voce inscriptionis circum imaginem  
Demetrii illam more communi scribentium tribus apicibus scul-  
psit. &c. Hæc fere omnia in voce penultima circum aquilam

concu  
amici  
vel Iv

De

I Ta  
in  
lico e  
nibus  
bus,  
& Ve  
tualia  
scrip  
tani  
1630  
neris

ensis  
ment  
racter  
Rusfi  
ut vu  
habeo

(a)

con



concurrunt, & eam fecerunt lectu difficillimam. Rusſi quidam amici mei legunt eam Niſchegrodskoi, aut forſan e Novogorod vel Iwanogorod formatum Adjectivum eſt.

## Cap. II.

### *De Cultura Linguae Sclavonicae beneficio Characteris Cyrillici in Typographorum Officinis.*

#### (1) In Italiae Typographiis.

**I**Talos, poſt inventam Typographiam inter primos fuiſſe, qui in uſum Eccleſiarum Sclavonicarum libros caractere Cyrillico ediderunt, veriſimile eſt. Pontifex enim Romanus nationibus vicinarum Italiae provinciarum, ſuae Eccleſiae adhaerentibus, uſum linguae Sclavonicae in ritibus ſacris permittit. Romae & Venetiis in hunc uſque diem prela complura ſunt, quae Ritualia, Directoria Sacerdotum, & plura hujus farinae, aliaque ſcripta caractere Cyrillico edunt. e. c. Hieronymi Panormitani tractatus de Confessione, Dialecto Boſnica. Romae 1630 Meditationes ſpirituales de bona vita & bona morte. Venetiis 1682 8vo.

#### (2) In Ruſſia Polonica ſive Kioviendi.

Anno 1581 Conſtantine Dux Oſtrogenſis, Palatinus Kioviendiſis, Princeps Woloniae, Biblia Sclavonica utriusque Teſtamenti in fol. Oſtrogiae, cum praefatione Graeco-Sclavonica, caractere Cyrillico ſuis ſumptibus edi curavit. (a) Prodiit in his Ruſſiae partibus etiam Nov. Teſt. in 8vo, ſed non verſiculatum, ut vulgo dicimus, nitidius tamen quam Moſcoviticum, quod habeo, cum verſiculis.

B

An-

(a) Vid. Wengercii (ſive Regenwolfcii) Hiſtor. Eccleſiaſt. Provinc. Sclavonicarum p. 461.



Anno 1586 venit Patriarcha Antiochenus in hanc Rusiam & consilium dedit ad instituendam (ἀδελφότητα) Fraternali societati, & Pædagogium. Paulo post venit ob eandem causam a Patriarcha œcumenico missus Metropolita Arsenius, qui duos annos Leopoli mansit & in eodem Pædagogio juvenes informavit. Denique hoc institutum a Patriarcha Constantinopolitano Jeremia confirmatum est. E Typographia horum Fratrum prodiit in usum Pædagogii Ann. 1591. Grammatica Græco-Sclavonica, charactere Cyrillico. 8vo (b)

Anno 1645 publicæ luci expositus est liber Dialecto Albo-Rusfica, cujus fuit titulus: Collectio brevis doctrinæ de Articulis fidei, orthodoxo-Catholicæ-Christianæ in Monasterio Petschurico Chiovico (c)

In primis notanda est typographia in Sancti Spiritus magno monasterio Lauræ Kioviæ, (Ruslice: wo Lawre Kiewskoi) e qua editum est, jam Anno 1646, Euchologium Magnum, Petri Mogilæ cura translatum. Ex eadem officina habeo explicationem Psalmi XV Joh. Chrysofomi. 12mo Anno 1707 charactere Cyrillico; & alia.

(3)

### In Russia Moscovica.

Rusfi, ab urbe Moscovia, sede Tzaris, Moscovitæ dicti, non inter ultimos fuerunt, qui typographias instituerunt. Primam quidem Tzaris Johannis Basili filii (Iwan Basilewitsch) curæ debent. E qua, Anno Mundi 7072 prodierunt Evangelia, Acta Apostolorum, & Epistolæ Apostolorum, postquam integrum decennium Typographiæ huic adornandæ infutum est. Typographi primi fuerunt Iwan Hoderson, & Peter Timosioffon. Post hæc vero integra Biblia jussu Alexii Michaelowitsch in lucem edita sunt & quidem, ut in titulo hujus editionis Rusfi fatetur

(b) Vid. Præfationem hujus Grammaticæ.

(c) Vid. Bergius de statu Eccles. Moscovit. p. 26.

(d) Bergius p. 151,

(e) Joh. Schwab in Dissertat. de relig. & ritibus Moscovitarum,



17  
tentur, literis Ostrogicis, secundum istud vetustum exemplar  
(Anno 1581 editum) correcta, Anno 1663 fol. Imperante eodem  
Alexio Michaëlis filio hujus typographiæ prelis perfecta est  
Anno 1651 Grammatica major Sclavonica, in 4to, literis Cirulicis,  
in usum Russorum, ad excolendam linguam Sclavonicam,  
tota Sclavonice accuratissime scripta. In cujus appendice  
sunt Mokæ Maximi, Græci, Grammaticales quæstiones:  
Index, sive Calendarium perpetuum cum explicatione nominum  
Sanctorum. Item specimen, quomodo Sclavonica vocabula  
in analysi Grammatica tractanda sint. Posterior editio quam  
vidi, est in 8vo. Inter libros Bibliothecæ Holmiensis in Sparvenfeldii  
Catalogo invenitur, Grammatica Slaveno-Russica, auctore Smœriatzki,  
Moscoviæ, 4to.

Anno 1665 editus est libellus, qui symbolum fidei, & ductus  
literarum Russicarum exhibet.

Petrus I, Magnus Russorum Imperator, ut palmam Regibus  
& Principibus quibusvis dubiam reddere voluit promovendo  
literarum studia, ita & ad excolendam linguam Sclavonicam  
animum intendit. Jussu ejus editus est liber elementarius in 4to  
Anno 1701. Hic docet lectionem trium linguarum, & vocatur  
in præfatione Alphabetarium (Russice Bukwar) Sclavonico-  
Græco-Latinum. Ab auctore, magno Græcæ Linguæ fautore  
p. 7. præfationis, Joh. Gerhard: Vosii citantur quædam verba,  
quæ laudem Græciæ & linguæ ejus continent. Alphabetum  
Cyrillicum hic novies invenitur, majoribus & minoribus literis,  
deinde sequuntur syllabæ; scribarum & typographorum compendia  
usitatiora, vocabula contracta; accentuum denique & aliorum  
signorum nomina & literæ quæ numeros indicant. Idem fit  
in Græco & Latino Alphabeto, additis multis precatiunculis,  
Vocabulario Russico, collectione sententiarum, aliisque quæ  
pueris usui esse possunt.

Anno 1721 venit ad nos alius libellus in 8vo, cujus titulus est:  
Prima puerorum institutio. Continet Alphabetum Cyrillicum,  
non ut in Bukwar novies, sed semel tantum, ea magnitudine li-



terarum quam omnes paginae in libello habent, deinde sequuntur syllabae, & Catechismus minor. Quietiam Berolini in Linguam Germanicam versus prostat. Tempore belli Livonici, praepositus Ecclesiae Marieburgensis Ernestus Glük, captivus Moscoviam ductus est, & accepta libertate à Russorum Semper-Augusto ad culturam Linguae Slavonicae animum adjecit, & docendo, vertendo, dirigendo, & bonis consiliis assistendo ad eam non parum contribuit. Mortuus est Anno 1705. Postquam paulo ante Theodorus Polycarpof ediderat primum Lexicon Slavonicum cujus Titulus est: Dictionarium trilingue hoc est, dictionum Slavonicarum, Graecarum & Latinarum Thesaurus, ex variis antiquis & recentioribus libris collectus, & juxta Slavonicum Alphabetum in ordinem dispositus 4to Anno 1704.

Prela Petroburgica etiam non exiguo numero librorum Rusficas Bibliothecas ornaverunt & subinde Slavonico sive Cyrillico caractere aequè ac vulgari varia scripta edunt.

Supra dictus Medicus, Mich. Schendo van der Bech in Appendice allegato p. 142 refert, Magistrum Pausener Ruthenam Grammaticam, & Lexicon, secundum omnes hujus Linguae dialectos conscribere. Sed nihil de hoc labore hucusque vidi.

Versionum in Linguam Slavonicam apud Russos tam Scriptorum Theologicorum, quam aliorum, inveniuntur jam passim catalogi. (f) Quid porro sperandum sit audiamus ex eodem Dmn. van der Bech qui c. l. inquit Archimandrita Kruliez Budaei Lexici versionem Herculeae audacia aggressus est.

Præter Palatium typographorum Moscoviae, quod plura prela continet, est & in monasterio Kuteniensi duobus milliaribus Novogrodiâ dissito, Typographia. Item Tschernigoviae, e quibus multi prodierunt libri.

(5)

In Lithuania.

Etiam Lithuania typographiis suis culturae Linguae Slavonicae

---

(f) De Patribus Graecae Ecclesiae in linguam Slav. versis vid. Bergium de statu Eccles. Moscov. p. 109.

nic  
pid  
zan  
edit  
che  
tri  
dox  
hæc  
inq  
& p  
unu  
tech  
disc  
cam  
nibu  
Viln  
Mon  
πρεσ  
voni  
Anno  
mie  
d. 14  
form  
sub J  
signif  
nem  
vis P  
ni  
noru





nica fautrix extitit. Anno 1562. Nefwicinæ seu Nefwiffiin op-  
 pido Palatinatus Novogrodienfis in Lithuania ad annum Uz-  
 zam, quod titulum Principatus familiæ Radziviliorum habet,  
 edita est Catechesis in 4to, quæ 23 annis omnibus libellis cate-  
 cheticis apud Russos ipsos typis expressis antiquior est, hanc Pa-  
 triarcha Moscoviæ Adrianus in præfatione ad Confess. Ortho-  
 doxam Ecclesiæ Orientalis his verbis laudat, (quamvis ea quæ  
 hæc Catechesis continet improbet;) Martini Lutheri discipuli  
 inquit, postquam invenissent literas Slaveno-Rusficas *pulchras,*  
 & *puras,* & in linguam *puram* Slavicam libellos suos transtulissent,  
 unum in 4to in urbe Nefwizina, &c. vocantes hosce libros Ca-  
 techesin vel doctrinam quid homini ante omnia sciendum, &  
 discendum &c.

Anno 1585 lucem vidit libellus e Latina Lingua in Rusfi-  
 cam translatus, cujus titulus est: Catechismus seu doctrina om-  
 nibus orthodoxis Christianis ad instructionem valde necessarius.  
 Vilnæ, in Lithuania: voluntate seu placito seniorum. (i. e.  
 Monachorum, qui in Rusfica lingua seniores appellantur, Græcè  
*πρεσβύτεροι.*)

In eadem Metropoli Lithuanicæ prodiit Grammatica Scla-  
 vonicæ Syntagma, Miletii Smotriski Clerici, 4to & 8vo.

(5)

### In Suecia.

Suecorum merita in linguam Sclavonicam præcipua sunt.  
 Anno 1625 Gustavus Adolphus Rex Sueciæ de adornanda Hol-  
 miæ typographia Rusfica mandata dedit, teste rescripto regio  
 d. 14 Aprilis. Ex hac prodiit, 1628 Ann. Catechismus Lutheri in  
 forma 12ma & 4ta, Rusfico-suecicus. Prelo Petri Vancelaw,  
 sub hac Epigraphe: Catechesis, hæc est Græca vox, Rusfice  
 significat Christianæ Doctrinæ compendium, quid deceat homi-  
 nem ante omnia discere & scire in salutem animæ suæ. Et quam-  
 vis Patriarcha Moscoviæ Adrianus rejiciat doctrinam Luthera-  
 norum, gratulantur tamen sibi de elogio quo Suecos mactat in

B 3

Præ-



74  
Præfatione ad Confessionem orthodoxam Ecclesiæ orientalis, quod elegantibus typis & terço calamo Sclavonico usi sint. Beneficio ejusdem typographiæ in lucem venit Catechismus Finnicus literis Ruscicis in 8vo. Item Collatio Chronologiæ Moscorum cum Suecica in fol. Nec defuit, (pergit Bergius citato libro in præfatione) Regina Christina, Articulo 20 Instructionis Superintendenti Narvensi Ann. 1642 datæ, ut sacris ordinibus initiandi utramque linguam Finnicam & Ruscicam calleant. Versio hæc Catechismi Lutheri in linguam Sclavonicam facta est ab interprete, quem secum habebat legatus a Tartariæ Principi in Sueciam missus.

Anno 1650 Michael, O, Wexionius in epitome descriptionis Sueciæ, Gothiæ & Fenniæ, Aboæ, 8vo I 3 c. 13 de Ruscica lingua & Alphabeto quædam habet, sed negligentius scripta. Quædam amicus nostris temporibus Linguiæ Sclavonicæ fuit Dom. Joh. Gabriel à Spervenfeld testatur Bibliotheca sua, qua Holmiensem publicam ornavit (g)

(6)

### In Germania.

Anno 1562 Tubingæ in Suecia à Primo Trubero Augustana Confessio in dialectum Croaticam versa & literis Cyrillicis ibidem e Typographia Comitum ab Ungnad prodiit, in 4to. Conservatur hic liber in urbe nostra, in Bibliotheca templi Petri. Est etiam Holmiæ in Bibliotheca Sparvenfeldiana. Ita Patria nostra in promovendis typis Sclavonicis inter primos fuit. Quem admodum illi palma inventionis typographiæ semper manebit.

Dn. Andreas Müllerus, Præpositus Berolinensis, in Cænturia Orat. Domin. Versionum etiam Ruscicam in ære sculptam habet, sed vitiosissimam. Nam sculptor (1) pro litera B semper fecit K, quia nec supra nec infra eam lineola clausit. (2) Syllabas quasdam a vocibus, ad quas pertinent, male separavit (3) In accentibus, & signis quæ literis Ruscicis superscribi solent

(g) Vid. Acta Sueciæ Literaria. Anno 1722.



negligentior fuit. (4) omisit verba : Quia tuum est Regnum &c. 15  
quæ tamen Biblia Rusfica, Matth. 6 habent. (h)

Alphabetum Cyruolicum apud multos invenimus (i) qui non tantum suum in hanc linguam amorem significare, sed & eundem in aliis excitare voluerunt.

(7)

### Amstelodami, in Belgio Fœderato.

Anno 1698 Elias Kopiewitz, seu, de Hasta Hastennius, ex decreto, (ut ipse scribit in Præfatione ad Grammaticam suam Latinam.) Tzaris Petri Alexiewitsch, typis mandavit septem Libros quos in latina Grammatica sub finem refert: In quorum numero & Nomenclator trium linguarum, Latinæ Rusficæ & Germanicæ. Et Grammatica Latino-Slavonica sive Rusfica charactere Cyrillico, quæ edita Anno 1700. Posui, inquit, veritatem in præceptis, claritatem in exemplis, utilitatem in singulis. Propriis sumtibus comparavi Typographiam ad imprimendam solam Grammaticam. Addidit etiam Catalogum in eadem Grammatica tam editorum quam edendorum librorum.

(8) Oxo-

(h) In programmate de Historia Lingvæ Slavonicæ primo correxi quædam circa Versionem Glagolicam hujus Centuriæ, p. 11 sq. Desiderant nonnulli amicorum meorum, ut idem in Rusfica faciam & quæ irrepserunt menda, specialius indicem. (1) Litera K pro B, est in linea prima semel, lin. 2 da bis; lin. 3 ter, in voce scilicet tertia, quarta & sexta; lin. 5 in voce prima; lin. 6, semel; lin. ultima in Syllaba penultima ultimæ vocis.

(2) Syllabæ male separatæ; in linea secunda, secunda & tertia vox una esse debet; in linea quarta conjungatur tertia cum quarta voce, sive quarta cum quinta Syllaba; In quinta linea, octava & nona litera ad sextam & septimam pertinet; In linea sexta, quarta Syllaba ad præcedentem trahatur; In septima duæ ultimæ Syllabæ una vox fiant; In linea octava, nona & decima litera cum sequentibus duabus conjungatur; In linea nona, duæ ultimæ voces unica esse debent.

(3) In voce prima, quia, T, super  $\omega$  expressum est, signum omissionis abesse debet. In voce ultima hujus lineæ primæ, prima syllaba separanda est a sequentibus & accentu gravi notanda, acutus vero scribatur supra literam vocis sequentis antepenultimam. In linea secunda, prima syllaba, tanquam vox per se, debet gravem habere, ut in linea tertia & quarta.

(i) Valvafor in Descriptione Carniolæ. Tom. II p. 273. Turneisser c. 4. p. 26. Olear. l. 3. c. 22, p. 280 Pfeiffer Critica Sacra,



### Oxonii in Anglia.

Anno 1696 Oxonii in Anglia, cura nonnullorum præclarorum virorum in Academia Celeberrima Oxoniensi typi Slavonici in Hollandia sculpti sunt, adeo nitidi, ut Patriarcha Moscovicus ab eodem artifice ejusmodi typos sibi sculpti curaverit. Huic novo prelo in Theatro Sheldoniano tanquam specimen subjecta est Henrici Wilhelmi Ludolfi Grammatica Russica in 4to, quæ continet non tantum præcipua fundamenta Russicæ linguæ, verum etiam manuuctionem quandam ad Grammaticam Sclavonicam, item colloquia familiaria, & breve vocabularium rerum naturalium, Lat, Rusf, Germanicum.

### Cap. III.

#### *De novo caractere Russico.*

**I**mperante Petro Imo, Rusfi in Moscovia inceperunt eo caractere libros edere, quo scribere solebant, hoc est, Cyrillico, scribarum dudibus paulum mutato, quem monstrat Tabula nostra in columella five serie secunda. Ji, qui formas ad hujus characteris singulas figuras sculperunt, quas fusores solent vocare matrices, videntur retinuisse multas, quibus alias ad fundendas literas latinas usi sunt.

Suspicioni huic locum dant literæ, 1, 3, 6, 11, 12, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 22. Hic character novus multis commodus est. Sunt enim qui linguam Sclavonicam non callent, & quibus character ejus lectu difficilior est, quippe qui dialecto Russica assveti sæpius calamo scripta viderunt & legerunt, quam libros caractere Cyrillico editos, His enim diu, & usque ad Petri I tempus tantum Scriptura Sacra, Scripta Patrum, & alia Theologica, ecclesiastica & moralia exprimebantur; nunc vero omnia quæ alias calamo tantum scribebantur, hoc novo caractere

rac  
tur  
qu  
ma  
36  
ras  
ce  
gn  
ut  
hæ  
lib  
run  
tap  
eff

**I**  
rel  
tic  
ad  
in  
sta  
ci  
ci  
po  
ni  
eh  
Ita  
m





112  
racteredi possunt, pluraque dialecto Russica scripta jam leguntur quam olim. Facilior etiam est novus Character, quia aliquot literarum figuræ, ad lectionem minus necessariæ, quibus magistri Sclavonicum onerarunt, omittuntur ut: 9, 10, 21, 36, 37, 38, 39, 42, 44. Nec amplius consonantes, supra literas scibuntur, nec signa, quæ in singulis fere vocibus Sclavonice scriptis pingi solent, & scribentibus multas difficultates magnamque moram pariunt, amplius adduntur. Exteristamen, ut Poëta dicit: Commoditas omnis sua fert incommoda secum, hæc signorum, imprimis accentuum absentia, lectionem horum librorum difficiliorem reddidit. Librorum hoc caractere editorum non magnus numerus est, nolui tamen Catalogo eorum tam qui Moscoviæ, quam qui Petroburgi editi sunt, hic prolixior esse. Referuntur quidam in Actis eruditorum Lipsiens.

## Cap. IV.

### *De Dialecto Russica.*

**D**ialectus Russica matri suæ, linguæ Sclavonicæ in paucis dissimilis est. Retinent enim Rusi Linguam Sclavonicam in rebus Theologicis & Ecclesiasticis, & quicumque etiam in Politicis purius scribere volunt, amant & imitantur eam. Quemadmodum & nos Germani Linguam Germanicam puriorem in scriptis quibuscunque & in sermonibus publicis omnibus constanter retinemus, ita ut & simplicissimi rucolæ aversentur Concionatorem qui vulgaria immiscet, quamvis alias quævis provincia dialecto sua utatur, paucique tam pure Germanice loqui possint ac scribere solent.

Merito ergo inter filias Sclavonicæ linguæ primo loco ponitur. Sorores enim ejus Hungariæ vicinæ & Turcis subjectæ, eheu, quot peregrinis vocabulis mixtæ sunt! Turcicis, Græcis, Italicis. Bohemica & Venedica nobis viciniore, quot Germanicis! At, dices, quot vocabula nova etiam Dialectus Russica



ab exteris nationibus accepit? nonne in re navali multa à Belgis; in Architectura civili & militari multa à Gallis, in aliis multa à Germanis? Fatendum est; sed laudandum; receperunt, civitate donarunt hæc vocabula & rerum nomina, tanquam hospites & innocentes peregrinos, & ut Rempublicam multis scientiis novis ornarunt, ita & earum propriis vocabulis linguam suam locupletârunt. Hoc ipso non fit deformior sed Matre pulchra filia pulchrior. O quæ via sternitur hoc instituto scientiis ad vastissimos terrarum tractus, per quos Dialectus Rusfica se extendit, ab emporio Archangeli usque ad Regnum Astracan, & ab Ingermannia fere usque ad Tschinæ confinia, ita ut jure etiam fororum suarum maxima dici possit.

**Differt vero Dialectus Rusfica à Lingua Slavonica  
quæ apud Russos floret.**

- (1) In verborum quorundam peculiari pronuntiatione, permutando quosdam vocales & consonantes.  
Exempli causa pro Slavonico edin dicunt & scribunt odin pro Segodne, Sewodne; pro togo, towo. &c.
- (2) Inter Consonantes concurrentes, inprimis quarum posterior est r, interponunt vocalem ut: pro brada dicunt boroda; pro grad, gorod; pro strana, storona.
- (3) Propria sua vocabula habet per omnes partes Orationis, e. c. pro as (ego) dicunt Ja; pro glagoliti, goworiti.
- (4) In Declinationibus & conjugationibus, non habent, exempli causa, numerum Dualem, nam hunc magistri Græcissantes Rusficis Scholis obtruserunt. In Conjugationibus e. c. tantum tria tempora habent Præsens, Præteritum & Futurum, & Futurum circumscribunt verbo auxiliari budu sive stanu & Infinitivo, sicut nos verbo werden, pro quo Slavonice præpositio vos vel alia Præsenti præponitur, ut, pro budu liuwiti Slavonice scribitur woslubliu. (amabo, ich werde lieben.)



Libros hac dialecto scriptos nullos fere usque ad Petri M. tempora vidimus. Liber unicus, qui referente Ludolfo, Ulofchenie vocatur, & loco corporis Juris Rusfici est, vulgarem dialectum in plerisque retinuit, constructiones tamen nonnullæ Slavonicam potius Grammaticam, quam communem loquendi modum sequuntur. Præterea Auctor quidam Monastici ordinis nomine Simon Polotski, tempore Tzaris Theodori Alexiewitsch Psalmos Davidis in rythmos Slavonicos redegit, & alia multa Theologica in lucem emisit; abstinuitque difficilioribus Vocabulis Slavonicis. Cætera tamen omnia Slavonica sunt, & multa vulgo ignota.

In Libris vero qui caractere novo eduntur, Vulgari dialecto plus indulgent Rusfi Moscovitæ, ita ut jure Character Rusficus sive Slavonico-Moscoviticus nominari possit. Grammaticæ Dn Ludolfi supra mentionem fecimus; aliam, quæ alicujus momenti sit, & Dialecti Rusficæ Regulas accuratius tradat, nondum vidi.

His quatuor capitibus promissis meis stare, & studiosæ Juventuti historiam specialem Characteris Cyrillici aliaque ad eum pertinentia delineare volui. Sequuntur filiæ Linguæ Slavonicæ reliquæ, quarum Character, a Latino nostroque non differt, nisi in paucis literis, quæ ad indicandam diversam pronunciationem certis lineolis & punctis notantur.

Ex harum dialectorum vero numero, prima mihi erit describenda, quacunque data occasione, Lingua Veneda sive Wendica; quam non tantum in vicinia nostra, sed & in provinciis Brandenburgicis passim, imo in foro nostro olitorio multi loquuntur.

Ceterum nolo hic repetere, quæ sub initium & finem primi de hac historia programme dixi: Quilibet enim videt me velle de eadem fidelia duos dealbare parietes. Causas etiam pluribus verbis explicare, cur de Angelis in Schola Christiana agam, adeo supervacaneum duco, ut putem quærendum potius esse, cur de his Spiritibus cœlestibus rarius in Scholis agatur;



Ejecimus & rejecimus superstitionem, & ab Angelis ipsis improbatam adorationem, sed non abjicimus gratam custodiæ eorum memoriam; quam, sicut quotidie, in singulis classibus, in precibus nostris fit, etiam hoc die solenni publice recolimus. Quia præterea Poësi Germanicæ parum temporis in publicis lectionibus apud nos dari potest, hanc occasionem arripui, (id quod etiam sub initium hujus sæculi feci,) ut tam e discipulis nostris superiorum & inferiorum classium, quam alii egregii Juvenes & adolescentes, majore ex parte Berolinenses, prodeant, & carmina, partim suæ venæ, partim alienæ, exercitii gratia recitent.

## Nomina horum, & ea de quibus loquuntur, sunt:

### I.

1. Gottfried Wilhelm. Nicolai, *Prologus.*
2. Joh. Georg. Buchholtz, *An Angeli fuerint in Paradiso.*
3. Joh. Dan. Diterich, *De Angelo Paradisi introitum præcludente.*
4. Martin. Frideric. Frisch, *De Angelorum juvenili forma.*
5. Cœlestin. Ernest. Cosmar, *De Angelorum alis.*
6. Georg. Gottlieb Schütz, *De Angelorum candida Veste.*
7. Elias Gottlieb Krüger, *De Angelorum Voce.*
8. Frideric. August. Franke, *An Angeli recte fingantur forma puerili.*

### II.



## II.

9. Joh. Christoph. Frideric. Bodenburg, *De custodia Angelorum in genere, tanquam Prologus quorundam qui sequuntur.*
10. Joh. Clemens Konow, Perlebergens. *De Angelorum Comitatu, quem Jacobus e Mesopotamia rediens vidit.*
11. Martin Frideric. Schæfer, *De Angelorum principatibus, & de Angelo custode Principe Persiæ.*
12. Joh. Frideric. Crüger, *De Angelo, qui Ancilla Abrahami in deserto apparuit.*
13. Joh. Frid. Lehmann, Behnzenf. Meso-March *De Angelo, qui Ismaeli & matri ejus fontem in deserto ostendit.*
14. Frideric. Wilhelm. Roloff, *De Angelo primogenituram Egyptiorum occidente.*

## III.

15. Christian Wilhelm Otto, *in Academiam abiturus, De Angelo, quem Rex Nabuchodonosor in flammis vidit.*
16. Johann. Christian. Cracow, *Schola nostra valedicturus, de Angelo Tobia Comite. Oratione Latin. Soluta.*
- Joh. Heinr. Rübener, Crummenseens. *Marchic. bis gratulabitur.*
17. Samuel Christian Schmidt, Zehdensf. Neo-Marchic. *De Angelis Deum laudantibus ob Christum natum.*

## IV.



#### IV.

18. Joh. Gottlob Wächtler, Chemnizens. Sax. *De Angelis piorum preces Deo referentibus.*
19. Ernest. Gottlieb. Wegener, Berwaldens. Neo-Marchic. *De Angelo thura offerente. Apoc. 8, 3.*
20. Joh. Wilhelm Meerschnek, *De Emphasi Pronominis Eorum, in dicto Christi: Matth. 18. v. 10. Angeli eorum vident, &c.*
21. Martin. Georg. Staubwasser, *De Emphasi verborum Psalmi 92, v. 11. ut te custodient, in omnibus viis tuis.*
22. Paul. Anton. Frideric. Bodenburg, *Quomodo pueri fiant socii Angelorum.*
23. Joh. Friederic. Bugisch, *De Angelis signantibus pios.*
24. Sigismund. Rudolf. Leiher, *De Angelis animam Lazari portantibus in sinum Abrahæ.*
25. Joh. Matthæus Bruchatz, *Epilogus.*





UNIVERSITÄTS- UND  
LANDESBIBLIOTHEK  
SACHSEN-ANHALT  
MAGDEBURG









In 42

ULB Halle

3

003 313 719





F  
I  
Sch  
17







# Historiam Linguae Sclavonicae

continuat

Quatuor capitibus

- De origine Characteris Cyrillici speciatim.*  
I. *De cultura Linguae Sclavonicae, beneficio hujus Characteris.*  
II. *De Typis novis Sclavonico-Moscoviticis.*  
V. *De Dialecto Rusfica, tanquam filia Linguae Sclavonicae.*

Additque in aere sculptum

Conspectum Figurarum Characteris Sclavonici,  
Novique Rusfici,

&

propter Inscriptionem Sclavonicam, etiam Nummum Rusficum.  
Occasione Exercitii Scholastici in Poesi Germanica,

Quo Natalem Gymnasii Berolinensis in Cœnobio, **CLIII<sup>um</sup>**

celebrat,

Et ad quod

*Die 10. Decembr. MDCCXXVII. hora IX. ante meridiem*

laecenates, Patronos, omnesque rerum  
Scholasticarum Fautores demisse & officiosissime  
invitas

**JOHANN LEONHARD FRISCH,**  
Rector.